

1. Bagge f. M. Ehregott Nic. / diff.
de Sapientia Christi in Electione,
institutione atq. missione
Apostolorum, Jenæ 1752.

2. de Balthasar f. D. Jac. Henr. / diff.
de Doctrina et Praxi in Pomerania
Suevica, circa Nuptias prohibitas
Gryphiswaldie 1752.

3. ——— diff. de temporis plenitudine
Gryphiswaldie 1750.

4. Bardt f. D. Joh. Fried. / diff. de
applicatione homiletica, Lipsiæ
1752.

5. Baumgarten f. D. Sigism. Jac. /
Vindiciæ vere et realis Corporis et
Sanguinis Christi in S. Coena presentibus
ab oppugnationibus Benj. Howley Halle
1749.

34 29

**CHRISTVS VIVENS
IN CREDITIBVS**

AD
SACRA PASCHATIS

RITE CELEBRANDA
IN ACADEMIA IENENSI

PROPOSITA MEDITATIO

LITTERIS MEYERIANIS.

DEI GRATIA
ERNESTVS AVGVSTVS
CONSTANTINVS

DVX SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, LANDGRAVIVS
THVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE, COMES PRIN-
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGIAE, COMES
MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNA-
STA RAVENSTEINI, RELIQA

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

VITAM CHRISTI

PRECATVR

C I V I B V S.

FRIEDRICH MEYER




Quam nunc piis mentibus celebrandam passionis, mortis et resurrectionis IESU CHRISTI memoriam recolimus, eam nobis, ut Thimotheo, commendat PAVLVS inquitens: *recordare IESUM CHRISTVM ex mortuis excitatum*, II. Tim. II. 8. Quae si recordatio IESU CHRISTI nobis actu sit salutaris: eo nobis, monente eodem apostolo, adnitendum est, ut, *si cum CHRISTO mortui sumus, etiam cum ipso vivamus*, Rom. VI. 8. Morimur cum CHRISTO, *si verus noster homo simul cruci adfigitur, ut aboleatur corpus peccati, ne nos amplius peccato seruiamus*; v. 6. resurgimus cum CHRISTO, *si in nouitate vitae ambulamus*, v. 4. Repetamus haec, O CIVES! altius: meditemur huius apostoli verba, sane sublimia et grauias: *Χριστῷ συνεζώσωμαι*. *Ἐγὼ δὲ, ἐν ἐπιθυμίᾳ, ἢ δὲ ἐν ἰσχύϊ Χριστοῦ*. *cruci adfixus sum inquit cum CHRISTO: uiuo autem, non iam ego, sed uiuit in me CHRISTVS* Gal. II. 20. Duo qua speciem inter se pugnancia hic adferuntur: *cruci adfixus sum* et nihilominus uiuo. *Χριστῷ* ait *συνεζώσωμαι* vna cum CHRISTO, vel simul cum CHRISTO, *in crucem actus sum*: quam notionem et *vis* vocabuli et *usus* in nouo foedere (Matth. XXVII. 44. Marc. XV. 32. Ioh. XIX. 32.) subministrat. *Ἐγὼ δὲ uiuo autem*, nempe cum CHRISTO, qui resurrexit e mortuis Rom. VI. 6. 8. *Cruci adfixus est cum CHRISTO* Paulus: sed non *pro nobis*, ut CHRISTVS cruci adfixus est, I. Cor. I. 13. *Hominem legis operibus iustum non fieri* v. 16. contendit apostolus. *Ego enim, inquit v. 19. per legem legi mortuus sum, ut deo uiuerem*. Explicat deinde quare ratione *legi mortuus deo uiuat*: atqui ait v. 20. *cum CHRISTO cruci adfixus sum*, hoc est, opus redemptionis, passio, cruci adfixio CHRISTI, mors eius, sunt MEA fide, quasi ego cum ipso cruci ipse adfixus essem: CHRISTVS pro me, vel loco mei,

omnia haec praestitit: ego haec omnia fide consecutus sum: habeo remissionem peccatorum, habeo vitam spiritualem, atque aeternam. Itaque ego nunc *uiuo deo*. Cum ipso cruci adfixus atque mortuus ab omni legis maledictione ac reatu liberatus sum: neque aliter a iugo legis solui poteram. *Nemo igitur iustus sit ex legis operibus*. Hac locutione: *deo uiuo*, nouam, ut dicunt, obedientiam complectitur, quam *deus* a nobis exigit, quae *deo* placet, quae *deum* glorificat.

Exponit *PAVLVS* rationem illam, qua cum *CHRISTO* cruci adfixus sit et nihilominus uiuat, inquit: *uiuo non iam ego, sed uiuit in me CHRISTVS*. Hisce uerbis hoc sibi uult apostolus: *haec facultas deo uiuendi non est ex me, sed ex christo*. *CHRISTVS* mihi donat vitam spiritualem absque eo mihi manendum esset in aeterna morte. * Scilicet hoc sibi uult *PAVLVS*, quod iam non ipse uiuat, sed quod ex *CHRISTI* uirtute uiuat, ut dici possit *CHRISTVS in ipso uiuere*. Quia *CHRISTVS* in fidelibus uiuit, quicquid gratiae, iustitiae, vitae, pacis, salutis, in illis est: est ipsius *CHRISTI*: et tamen illud ipsum est eorum per fidem. Quamuis ergo fideles adhuc vitam hanc corpoream uiuant: tamen *deo* uiuunt

* *Neruose* scripsit *HIERONYMVS*: *protinus* subdit: *uiuit uero in me in illo uiuit CHRISTVS, in quo CHRISTVS uetat actus et uiuat*. Pie ac egregie *GREGORIUS M. Hom. XXXII. Euang.* tunc nosmet ipsos relinquimus, ait, tunc nos abnegamus, cum uitamus, quod per uerultarem fuimus, et ad hoc nitimur, quod per nouitatem uocamur. Pensemus quomodo se *Paulus* abnegauerat, qui dicebat: *uiuo autem iam non ego*. Extinctus quippe fuerat saeuus ille persecutor: et uiuere ceperat pius praedicator. Si enim ipse esset, pius profecto non esset. Sed qui se uiuere denegar: dicat unde est, quod *salista* uerba per doctrinam ueritatis clamant, *CHRISTVS*, ac si aperte dicat, *ego quidem a me ipso extinctus sum, quia carnaliter non uiuo: sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in christo spiritualiter uiuo*. Paucis multa complexus est *LVTHERVS* scribens ad h. l. dixi, *me iam non uiuere, sed christum in me*: uerum ne existimetis, quod uita christiana sit extra carnem in religione angelorum: *sic uiuit in me CHRISTVS*, ut tamen in carne uitam agam, non autem sic in carne uiuam, quod ex carne, in carne, aut secundum carnem, sit uita mea, sed in fide filii *DEI*.



viunt *fide in CHRISTVM* et *CHRISTVS viuit in illis per fidem*. Quod vero nunc, ita pergit PAVLVS, *in carne viuo, sive de vino filii DEI*, qui me adeo amauit, vt se ipsum prome dederet.

Haec est *vnio illa spiritualis*, quam *CHRISTVS* nobis promeruit: in qua fides adest, vt medium ex parte hominis. Iustus in *DEI* iudicio declaratus homo vnitur *DEO*. Homo hac ratione cum *DEO* vnitus de sua salute certus est: in fide ac sanctitatis studio quotidie proficit: in resurrectionis et futurae gloriae spe persistit Rom. VIII, 10. 11. Sic *CHRISTVS* cum suis suam passionem et cruci adfixionem Rom. VI, 7. Gal. II, 19. mortem Col. II, 20. resurrectionem Col. III, 1. 199. Ephes. II, 5. vitam Rom. VI, 8. Gal. II, 20. spiritumque sanctum Rom. VIII, 10. cet. gratiose communicat.*

Vita ergo vere christiana requirit fidem saluificam: ab hac vita piorum christiana recte dicitur. Fides hominis intellectum ad adfensum, tam in genere oraculis Dei; quam in specie diuinis promissionibus, contentis in illis, praebendum determinat. Qui adfensus semper cum fiducia in meritum *CHRISTI* coniunctus est. Fides quoque voluntatem inflectit et inclinat ad bona spiritualia. Hic intellectus fide praeditus deducit conclusiones practicas. Omnia haec a *SPIRITV SANCTO* peraguntur, qui per fidem in credentium cordibus habitat.

Vbicunque igitur *CHRISTVS* et *SPIRITVS SANCTVS*, imo tota sacro sancta *TRINITAS*, per fidem in cordibus

(3)

*) Ita de hac re loquitur aliquis apud EUSEBIUM praeparat. Euangel. Libr. IV. XXI. pag. 170. D. εὐτε δε μοῦνος ὁ τῶ Θεῷ λόγος, ὁ ἐν τοῖς ἀληθινοῖς ἐνοικῶν σπλάγχθοις, τῶν δεινῶν ἀνθρώπων διὰ τὴν ψυχῆν καθαρῶτην, εἶδεν ἐν ταῦτοῖς χωρεῖν περὶ ἀνθρώπων πνεῦμα τοῦ ἁγίου ἑσθλας ἐνοικῶσαν ἐν ἀνθρώποις, καὶ ἐμπροσθεν αὐτῶν καὶ αὐτοὶ ἐσοῦνται μοι λαός vnum illud

DEI verbum, quod in veris eorum, qui propter summam animi puritatem ipsam capere interius complectique possunt, visceribus ac praecordiis habitat. De quibus in sacris litteris sic alicubi loquitur: *inhabitabo in illis et inambulabo inter eos: et ero illorum DEVS et ipsi erunt mihi populus II. Cor. VI, 16.*





hominum non habitat; ibi homines DEO vivere nequeunt. Nequeunt enim vere Deo placere: nequeunt opera vere bona facere. Nam impossibile est, vt sine fide aliquis DEO placeat. Ebr. XI, 6. Dolemus igitur illorum vicem, qui iudaeis, qui gentilibus, imo quibuscunque populis tribuunt, quod sint in CHRISTO, quodque vivam in CHRISTO, quamvis ignorent ipsum, quamvis non cognoscant ipsum. Non perspicimus, multo minus, stante hac diui apostoli sententia, adprobare possumus sententiam inquentium, quod omnes omnino homines, quia fidem internam vel CHRISTVM in se ipsis habeant, sine externa CHRISTI cognitione, salutem aeternam consequantur. *) Praecipue PETRVS POIRETVS **) magno conatu probare instituit, non paucos fuisse tum in prima mundi aetate, tum in reliquis mundi periodis, qui licet externo destituti verbo, per inspirationes tamen immediatas ac verbum internum; item per generalem creaturarum vocationem vocati et saluati fuerint. Hoc autem assertum exemplis firmare instituit partim ipsius scripturae sacrae, partim philosophorum gentilium. Ex sacris literis exemplum Melchisedeci, Abimelechi regis Gerar, Iobi et quorundam ex amicis ipsius et Iethronis, focii Mosis, profert in medium. Ex gentilium philosophis Chrysippum, Diogenem, Zenonem, Antisthenem, Epictetum et Socratem, vt viros diuinos, summis extollit laudibus. Ad haec POIRETI asserta generalem, solidam atque rectam responsonem, vt iudicamus ex verbis diui Pauli Gal. II, 21. si in lege posita est iustitia: ergo CHRISTVS frustra mortuus est depromit IACGERVS. ***) Si ait per naturam voluntatemque iustitia: ergo CHRISTVS gratis mortuus est; si per doctrinam hominum, qualis philosophia gentilium, qualiscunque iustitia: ergo CHRISTVS gratis mortuus est. Quod in specie ad Melchisedecum attinet עליון להל כן הוא ille fuit sacerdos DEO

*) Sententias haec refert in *Christiana* nifino Platonico Hermetico easque examinat et reicit COLBERGIVS Part. II. cap. XIV. p. 628. et 631.

**) in *oecoy*. tom. IV. cap. XIII. §. II.


***) in *exam. theol. noxae* controu. XXII. pag. 300. 199.



Supremo Gen. XIV, 18. non gentilis, quibus hisce verbis op-
ponitur, vera religione imbutus fuit. Idem illustris futuri
MESSIAE typus fuit Ebr. VII, 3: Psalm. CX, 4. Ceterum, quae
de Melchisedeci sacerdotio hic dici possent, ea profectus est
QVANDIVS*) *Albimelecbus* quidem diuinitus est admonitus
Gen. XX, 3. inde vero non sequitur, quod per *verbum* quod
vocant *internum* illuminatus, atque regeneratus sit. Idem
de reliquis dicendum erit, qui extra DEI populum specia-
li favore DEI sunt fructi. Ad exempla *philosophorum* reuoluen-
da nobis sufficiunt ea, quae habet PAVLVS Rom. I, 28. sicut
DEI cognitione non probe vsi sunt: ita permisit eos DEVS
in improbam mentem, ita vt nefaria facerent. Paucis: CHRIS-
TVS non habitauit per fidem in illorum cordibus: adeoque
DEO absque hac in CHRISTVM fide non potuerunt viuere.

His rectora et solidiora, CIVES, nos docuit apostolus
inquiens: *cruci adfixus sum cum CHRISTO: viuo autem, non iam
ego, sed vivit in me CHRISTVS.* Haec *vita CHRISTI* in cre-
dentibus est *beatus ille in hac vita status, in quo credens in
CHRISTVM homo peculiari aut spiritali virtute, aut facultate
agendi a CHRISTO praeditus est.* Hic beatus fidelium status
incipit ab illorum *iustificacione*, in qua iusti in DEI iudicio de-
clarati per fidem in CHRISTVM, qua ipsius meritum faciunt
suum, sicque remissionem peccatorum vitamque spiritualem
habent, DEO vniuntur, atque in *renouacione* continuatur.
Hanc illorum cum DEO *unionem* verbum et sacramenta ope-
rantur, augent et conseruant. Vires illis largitur CHRISTVS,
vt opera vere bona, id est, DEO grata et accepta in CHRISTO
faciant. Vi huius vnionis *vnum* efficiuntur *cum CHRISTO*,
qui vivit in illis. Sed non sunt *angeli*; multo minus effi-
ciuntur DEVS, aut ipse CHRISTVS. Sunt homines pii: sunt
veri christiani: sunt cohaeredes CHRISTI et iam in hac vi-
ta beati. Tristis est omnium rerum facies, vbi CHRISTVS
non vivit in illis, qui nomen ipsi dederunt: sed ipsi viuunt, hoc
est, illorum agendi facultas ex ipsis est. Itaque sunt in morte
spiri-

*) in exam. controu. recent. de sacerdotio Melchisedeciano.



spirituali et ea, quae faciunt opera, DEO maximopere displicent.

Sumus ad summam felicitatem a DEO creati: sumus a CHRISTO precio sane caro, scilicet ipsius pretiosissimo sanguine, redempti: sumus per lauacrum regenerationis et renouationis SPIRITVS SANCTI large perfulsi Tit. III, 5. 6. Cur ergo non viuamus CHRISTO? cur resistamus SPIRITVS SANCTO cum nos per verbum DEI ad CHRISTVM cupit manuducere, vt *in nobis viuat* CHRISTVS. Cur summam creatori nostro facimus iniuriam, cum *ipsi* non viuimus? Quod si iam CHRISTVS *in nobis viuuit*, quid anxie solliciti sumus de huius vitae commodis? aut quid de eiusdem periculis? Mortui enim sumus et *vita nostra latet cum* CHRISTO *apud* DEVM. Cum CHRISTVS patefiet *vita nostra* tunc et nos vna cum eo patefiesim gloriosi, Gal. III, 3. 4. Ita ergo, CIVES, hos dies festos agite, vt, si CHRISTVS *in vobis iam viuuit*, in eius vita magis proficiatis: quod si *nondum in vobis viuuit*, vt ne SANCTO ipsius SPIRITVS resistatis. Itaque oraclorum diuinorum interpretes sedulo et adtente audiatis: sanctiores litteras et legatis et meditemini et eo vel in primis salutariter referatis, vt vos exploretis, an iam *formatus sit in vobis* CHRISTVS, an vero demum *formandus*? Gal. IV, 19. Haec vestra exploratio eo facilius procedet, quo magis SPIRITVS DEI oculos mentis vestrae aperierit, vt in ipsius verbo, tamquam in speculo, vitam vestram inspiciatis. Beata est haec vita vestra, si hac spirituali ratione viuendi a CHRISTO praediti estis et beatissimus post hanc vitam erit status vester, in quo in aeternum cum CHRISTO eritis. P. P. primo die Pascharis anno reparatae Dei gratiae clo. lxxx. lxxij.

(L.S.)


28. MANUSKRIPTEN


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and appears to be a list or index of manuscripts.



00 A 6416

R





34 29

**CHRISTVS VIVENS
IN CREDITIBVS**

AD
SACRA PASCHATIS
RITE CELEBRANDA
IN ACADEMIA IENENSI
PROPOSITA MEDITATIO

LITTERIS MEYERIANIS.

